

et merces ad dictam civitatem Veneciarum per dictos Jadratinos et Dalmatinos delatas vel transmissas vendere et vendi facere et alio quocumque titulo alienare possint in dicta civitate Veneciarum quibuscumque personis eis placuerit eciam non Venetis. Et in dicta civitate Veneciarum dicti Jadratini et Dalmatini emere et alio quocumque titulo acquirere possint singulis annis et quolibet anno ex dictis annis viginti tantam quantitatatem mercium mobilium, que valeant dicta triginta quinque millia ducatorum dividenda inter dictos Jadratinos et Dalmatinos pro rata predicta a quibuscumque personis eciam non Venetis. Et ipsas merces portare possint Jadram et Dalmatiā et ad alias partes subditas dicto domino regi, ipsis Jadratinis et Dalmatinis solventibus tam postando, quam extrahendo et tam ementibus quam vendentibus gabellas, dacia, pedagia et alia onera consueta, que per Venetos tantum solvuntur. Et quod per dictum commune Veneciarum licentia concedatur quibuscumque non venetis emendi a dictis Jadratinis et Dalmatinis ut supra et similiter eisdem vendendi absque aliquo banno sive pena. Et hoc singulis annis pro quantitatibus et usque in quantitates contentas in presenti capitulo; dummodo per predicta non intelligantur, quod predicti Jadratini et Dalmatini possint Venetas portare sal, nec imittere vel extrahere de Veneciis ea que Veneti proprii imittere vel extrahere non possunt. Et sic predicta fiant sine dolo et tali cautela adhibita, quod salvis predictis et concessione predicta commune Veneciarum defraudari non possit. Item per dictum commune Veneciarum conceditur, et concessum intelligatur in perpetuum dictis Jadratinis, quod eisdem liceat emere in Veneciis et inde extrahere cupos seu tegulas et mattones tantum pro constructione et reparacione hedeficiorum suorum absque solucione alicujus pedagii, dacii vel gabelle. Item fuit solemniter conventum et actum inter partes predictas nominibus antedictis, quod commune Veneciarum, nec aliquis officialis ejusdem non possit facere aliquod statutum decreatum vel provisionem specialem contra subditos dicti domini regis